Quæstio Medica Quodlib. disput. agit.da In Scho. Med.rum die Jouis 11a Febru.

D. Georgio Cornuty Doctore Medico disceptatore.

An Angina Periculosior alijs morbis Acutis?

211

Quamuis omnes morbi ab vna eademque causa nascantur, nimirum ab ardore, non sunt tamen eiusdem officij, et proprietatis, siquidem alij leues, et nullomodo formidolosi, alij ita præcipites et periculosi si super accidant, ut nisi promptum remedium adhibeatur corrupti ad certam perniciem perueniant: Cuius generis sunt Peripneumonia, pleuritis, Angina qui morbi acutissimi quod repente homines enecare perhibentur. Nullus tamen tam exitialis excogitari potest, quam Angina quæ vndequaque nascatur grauissima, quod et alijs diei non potest, producit symptomata.

Fit autem Angina ex influxu humorum à capite decumbentium qui vel in guttur, vel in faucibus coaceruantur interceptis respirandi facultatis animalis præcipuam, et ad vitam maxime necessariam actionem, cum ad spiritus animalis nutriendum, et caloris refrigerium. Causas autem pro ratione temporum peculiarem humorem producentium mutantur: tempore hyberno, et verno gignitur à crasso et viscido humore in latis venis copiosam materiam attrahentibus collecta, vna minus periculosa à bile venas exiles occupante suscitata frequens æstate, et autumno.

Signorum vero alia communia sunt, et ad omnem phlegmonem colli pertinentia, alia singularum inflammationum propria; Communia sunt huiusmodi suffocatur homo, neque saliuam, neque quicquam aliud deglutire potest, oculi prominent tanquam in strangulatis, facies inflammata est, non intelligit, non audit, mutus fit. Sanguineæ autem, quæ biliosâ est periculosior, propriæ notæ sunt febris acuta, dolor vehemens, rubor faciei, oris dulcedo, sanguis enim dulcis est et temperatus, diæta calida et humida humori confert. In biliosa dolor est acutior, color citrinus, victus calidus et siccus talis humoris contra. In phlegmate albescunt ægri, est oris insipiditas (est enim pituita qualitatis expers) dolor potius grauans, quam acutus, ratio victus humida, et frigida fluxioni congruens.

Anginarum multæ sunt species, 1a cum fauces inflammantur, locus videlicet internus vbi conueniunt externæ partes gulæ et summi gutturis. alia cum neque fauces nec reliquæ partes inflammatæ videntur tunc ægri periculum suffocationis sentiant. tertia est cum extrinsecus circa fauces conuenit inflammatio quæ absque periculum significat. Quarta vbi summi gutturis partes tam internæ, quam externæ afficiuntur. His accedit alia quæ à luxatione vertebrarum ortum habet omnium infestissima periculosum si febrem coniunctam habet.

Inter remedia si quæ comparari possunt, celebratur venæ sectio quæ non tantum in ipso morbo, sed etiam in omnibus acutis mirificos affert sanitatis fructus: In pleuritide enim et periculosum si dolor supra septum transuersum sentiatur, alioqui purgantibus esset opus, plerumque salutaris est in phrenitide, et peripneumonia, non ita tamen ceteris in phlegmone colli in qua primo è brachio sanguis educendus, deinde venæ quæ sunt sub lingua secandæ. Celebrata sectione venæ purgantibus clysteribus vtendum. ad repellendos humores adstringentibus locus datur, acribus ad digerendos. toto tempore multum post iudicandum cremoren capitis quæ omnia frustra adhibentur si nullus tumor extrinsecus appareat, cum sit impossibile facultatem vitalem, cuius abolitio nullum locum relinquit alijs, non contra posse consistere.

Ergo Angina Periculosior alijs morbis Acutis.

Asserebat Joannes Debonnaire Rhemensis. 1588.

Dni Doctores disputaturi.

M. Guillelmus Lusson.	M. Joannes Riolan Decanus.	M. Petrus Girouft
M. Ægidius Heron.	M. Joannes Haultin.	M. Claudius Rousselet.
M. Joannes Beauchesne.	M. Sulpitius Rigault.	M. Stephanus Gourmelen.